

LECTORI BENIGNO

Sapientissimus Salomon in libro Proverbiorum (c.30. v.4) sciscitatur ab eo qui se sapientem esse praesumit, quodnam sit Dei nomen: *Quod nomen est eius? (intellige Dei)*. Profecto regius Psaltes fatetur admirabile esse nomen Domini (Ps.8.v.1): Admirabile autem dicitur Dei nomen, quod secundum divum Hieronymum idem est ac, *non effabile*; secundum Theodoretum significat, *non explicabile*; et iuxta Damascenum idem sonat ac, *non eloquibile* (vid. *Le Blanc comm. in Ps. 8.v.4. art.2. §. 3.*). Habita proportione idem dici potest de Deiparae nomine; et licet evangelista Lucas (c.1.v.27) dicat: *Et nomen Virginis Mariae*; tamen indubium est, quod etiam Mariae nomen sit aliquo pacto ineffabile, et non eloquibile: nam eius nomen cum sit significativum omnium charismatum et virtutum in ipsa existentium; si non effabilia sunt eius charismata, et virtutes, non eloquibile aliquo pacto est etiam nomen. His non obstantibus fidelium pietas, et sanctae catholicae Ecclesiae auctoritas sub diversis titulis et nominibus, sive ex sacris litteris desumptis, sive eius virtutes, et munia obumbrantibus, eam colit et veneratur. De praecipuis ergo, et receptoribus huiusmodi nominibus et titulis consilium inivimus aliquot tractatiunculas elucubrare, ut Marianarum laudum concionatores aliquid quaecumque promptuarium prae manibus habere possint.

Haec in antecessum de duobus monitos volumus lectores: 1. non de omnibus et singulis titulis, sub quibus Deipara colitur, sed tantum de receptoribus, ut superius innuimus, nos sermonem insituere: 2. mentem nobis haud fuisse conciones et homilias comptas elucubrare, sed tantum *promptuarium*: ideoque si argumenta minus quam par esset, ordinale et concinne disposita erunt, id nobis culpae minime verti debere.

S. Isidorus Hispalensis (*lib.7.ethim.c.1*) observat, decem nominibus Hebraeos consuevisse vocare Deum, ad designandam vel eius naturam, vel aliquod suum attributum. Simili pacto sub diversis titulis honorificatur Deipara Virgo, ad significandas vel suas virtutes, vel charismata, quibus ditata fuit.

Scio quidem, dulcissima Mater mea, immaculata Maria, quod licet ego *linguis hominum loquar, aut angelorum*, ut verbis utar Apostoli (1. ad Cor. c. 13. v. 1.), nunquam condecenter polero tuas promere laudes: verum tum ut grates aliquo mihi possibili modo tibi rependam pro innumeris mihi collatis beneficiis; tum ut vitae aeternae ianuam, quae ob iniquitates meas occlusa mihi fuit, reserare pro meis viribus studeam, tuas laudes enarrare decrevi, te ipsa ad hoc me exhortante illis dulcissimis verbis (*Ecl. 24*): *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt*. Tu ergo, piissima mea Domina, et dulcissima Mater, quae linguas infantium saepe fecisti disertas, dignare me indignissimum tui Filii ministrum, laudare te. Quod si tuus Filius benedictus Iesus dixit (*Matth.10.42*): *Quicumque dederit uni ex minimis meis calicem aquae frigidae, amen dico vobis, non perdet mercedem suam*; tu indulgentissima Domina, pro hoc tenui munusculo tria mihi quaeso ne deneges: 1. ut tuo famulatu me mancipatum habeas in reliquo meae vitae curriculo: 2. ut mihi ex hac vita migranti comis et mitissima adsis (id mihi audaciae ne veritas, nam a magna et potentissima Domina magna postulanda sunt): 3.º ut ad tuos immaculatos pedes in coelis me provolvi permittas. In tribus beneplacitum est Spiritui Sponsi tui, de quibus sermo est in libro Ecclesiastici (*cap. 23. v. 1*): in his tribus petitionibus beneplacitum sit spiritui tuo immaculato, o dulcissima Virgo. Haec tenuium meorum sit merces satis ampla laborum.

TITULI B. M. V.

QUORUM PROMPTUARIUM HEIC EXHIBETUR

ORDINE ALPHABETICO DISPOSITUM

1. AMORIS.	} S. MARIA.	29. MODESTIAE.	} S. MARIA.
2. ARCUS.		30. MONTIUM.	
3. AURORAE.		31. NIVIS.	
4. AUXILIATRIX.		32. OLIVAE.	
5. CASTELLI.		33. PACIS.	
6. CINCTURAE.		34. PALMAE.	
7. CIVITATIS.		35. PATIENTIAE.	
8. COMPASSIONIS.		36. PARADISI REGINA.	
9. CONSOLATRIX AFFLICTORUM.			
10. CORDIS B. M. V.	FESTUM.	37. PASTORIS DIVINAE.	} FESTUM.
		38. PATROCINII B. M. V.	
11. CORONARUM TRIUM.	S. MARIA.	39. PLANCUS.	} S. MARIA.
12. DESPONSATIONIS B. M. V.	FESTUM.	40. POPELLI.	
13. DOLORUM REGINA.	} S. MARIA.	41. PORTAE.	
14. FIDEI.		42. PORTAE SALVI.	
15. FLORUM.		43. POTENTIAE.	
16. FONTIS.		44. PRINCIPII.	
17. GALLINARUM.		45. PROVIDENTIAE.	
18. HORTI.		46. PERITATIS.	
19. LAURI.		47. PUTI.	
20. LILII.		48. REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.	
21. LITERAE.		49. REFUGII.	
22. LUCIS.		50. SANITATIS.	
23. LUNAE.	51. SALUTIS.		
24. MARIS STELLA.	52. SAPIENTIAE.		
25. MATERNITATIS.	FESTUM.	53. SCALAE.	
26. MERCEDIS.	} S. MARIA.	54. SOLIS.	
27. MIRACULORUM.		55. STELLAE.	
28. MISERICORDIAE.		56. TRIUMPHI MAGNI.	
		57. VALLIS.	
		58. VICTORIAE.	

I. TITULUS

S. MARIA AMORIS

Gratia, plenam angelus Gabriel Deiparam Virginem salutavit; et d. Albertus Magnus (*serm. sup. Missus est*) eleganter sic ait: *Dicitur Maria, quia sicut in mari est omnis aquarum congregatio, ita in ipsa est congregatio omnium gratiarum.* Haec autem gratia per excellentiam et eminenter super omnes creaturas in ea exiit, et secundum omnem suam acceptionem, uti docent theologi. Igitur nulla in ipsamet deberunt desiderari dona, nullae virtutes. In ipsa fides heroica, sublimissima scientia, aliaque omnia charismata, quibus creatura incapax non erat. Sed quid illi profuisset, habere omnem scientiam, et noscere mysteria omnia, et illa fide informatam fuisse, qua montes potuisset transferre, si charitatem solam non habuisset? Primus igitur omnium donorum ei collatorum fuit amor, et recte a fidelibus honoratur sub titulo s. Mariae amoris.

Verum sub multiplici respectu potest Deipara hoc nomine donari. Nos in praesentiarum demonstrare aggredimur 1.^o quod ipsa Deum intensissime, et super omnes creaturas dilexit et diligit; 2.^o quod tenerime diligit proximos; 3.^o quod iure merito ipsamet salutatur *Mater pulchrae dilectionis*; 4.^o denique quod est multum amabilis.

I.

Deipara intensissime dilexit et diligit Deum.

1. Posito quod illa verba Proverbiorum (*cap. 9. v. 1*): *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem*, intelligi debeant in sensu mystico de Verbo Dei, qui in beatissima Virgine aedificavit sibi domum se dignam prae omnibus angelis, cherubinibus et seraphinis; quodque in illa columnas septem excidit, idest

robustissimas virtutes, puta tres theologales, et quatuor cardinales (*vide a Lapid. in hunc locum*); sequitur beatissimam Virginem charitatem habuisse erga Deum, quae potior est inter theologicas virtutes. Hanc autem charitatem, si quaeratur, a quo tempore habuit, dico quod a primo suae conceptionis instanti: nam in hac domo, quam Sapientia sibi aedificavit, nemo alius ingredi potuit, nisi solus Deus; et porta eiusdem domus occlusa semper fuit diabolo, charitatis inimico. Audiatur opportune doctissimus a Lapid. (*sup. cap. 44 Ezechiel.*): *Allegorice, inquit, et in potiori sensu maxime intento a Spiritu sancto, porta haec clausa est beata Virgo Maria, in qua sedet Princeps, idest Christus Dominus: et paulo post submittit: Symbolum portae huius semper clausae denotat, utramque Virginis conceptionem fuisse immaculatam, scilicet tam passivam, qua ipsa concepta et orta est; quam activam, qua concepit et peperit Christum.* Si ergo beata Virgo fuit domus semper clausa diabolo, dilectionis inimico, et patuit Deo, qui antonomastice charitas est (*Jo. cap. 4. v. 8*); patet in ipsa semper fuisse dilectionem erga Deum. Indubium vero est, inter reliqua propemodum immensa ornamenta huius mysticae domus, nunquam desideratum fuisse aurum charitatis heroicae. Nunc examinandum est, quantum Virgo Deum dilexerit; et dico:

2. Maior profecto fuit gratia beatissimae Virginis concessa, quam gratia data omnibus angelis et sanctis cumulate. Doctissimus Maldonatus triplicem gratiae plenitudinem distinguit: nam ipse ait, sicut aqua plenus est fons, plenus fluvius, pleni rivuli; etsi plus et purius in fonte, quam in fluvio; plus et plenus in fluvio, quam in rivulis: sic plenus est Christus gratia, uti docet Ioannes (*in ev. cap. 1. vers. 14*); sed plenus tamquam fons, ex quo

securit in reliquis. Plena gratia fuit Christi Mater, tamquam fonti proximus fluvius, qui etsi minus quam fons aquae habeat, pleno tamen fluit alveo. Reliqui vero angeli et sancti pleni etiam possunt esse gratia, quemadmodum dicitur de divo Stephano: *Plenus gratia et fortitudine* (Act. cap. 6. v. 8.); sed nominat tamquam simplices rivuli. Si igitur beatissima Virgo plena fuit gratia, solum infra Deum, sed super omnes alios, sive angelos, sive sanctos, et merito aptantur illa verba Psalmi (86. 1): *Fundamenta eius in montibus sanctis*; id est culmen gratiae et sanctitatis aliorum, est primus gradus sanctitatis et gratiae Deiparae. At maiori huic gratiae ingrata fuisset, si Deum non amasset supra omnes illos, supra quos elevata fuit: ergo etc.

3. Indubium est, quod beatissima Virgo in gradu heroico implevit omne id, ad quod tenebatur; alioquin non fuisset sancta, quod est blasphemum. At ipsa obligabatur ex gratitudine ad diligendum Deum plusquam omnes angeli et sancti, simul coniuncti: nam super omnes privilegiata fuit, et dona recepit: ergo dicendum est, quod ipsa suo muneri heroeice satisfecit. — Re quidem vera, inter privilegia et dona Mariae collata, si sola spectetur Divina maternitas, ipsa nemini infra Deum comparari potest, omnesque excedit angelos et homines, etiam collective sumptos. Sed ubi crescent dona, rationes etiam crescant donorum, Gregorio, seu alio auctore sub eius nomine, id in quadam homilia attestante: ergo ad rem coneludit Hieronymus (in sermone de Assumptione), quod ipsa magis obligata erat ad diligendum Deum, quam omnes angeli et sancti: unde ad rem divus Bonaventura (in Specul. Mar. cap. 6. circa fin.): *Quid mirum, inquit, si Deipara proe omnibus diligat, quae proe omnibus est dilecta?*

4. In dubium revocari nequit, Deum ab omnibus esse amandum. Hoc praeceptum datum fuit homini a suae creationis primordiis, et in eius corde veluti inditum: in lege scripta praecepta primae tabulae circa Dei amorem vertebantur: et tandem in evangelica lege nihil frequentius inculcatur, nisi Dei amor. Verum, licet Deus diligere debeat nobiliori modo, quam parentes amant filios, filii parentes, et sponsae sponso; tamen dubitari nequit, quod beatissima Virgo, praesidendo ab aliis titulis, quibus ad diligendum Deum tenebatur, considerari etiam potest sub triplici respectu erga Deum, scilicet ut filia, et quidem privilegatissima Dei; et ut Mater vera Dei; et ut Dei castissima Sponsa. Ergo etiam sub hoc respectu amor Deiparae erga eundem Deum intensissimus et sublimissimus fuit: nam cum amavit amore filialis, amore materno, et amore sponsae: et haec observandum venit, quod cum in aliis hominibus obiectum amoris Dei est ipse Deus; obiectum vero amoris filialis, materni, et sponsorum sint creaturae; quodammodo amor creaturarum retardare potest, ad minuire amorem Dei. Sed in beatissima Virgine non sic: nam in ipso Deo inventum suum Creatorem, suum Patrem, suum Filium, suum Sponsum: ergo

amor Dei in ipsa fuit intensissimus, et vehementissimus.

5. D. Thomas (3. p. q. 37. a. 5.) docet, quod quanto magis aliquid appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat de effectu illius principii: sic qui magis se appropinquat soli, vel igni, plus participat de luce, vel de calore. Hinc angeli sublimioris hierarchiae, nempe seraphim, plus de divina charitate participant, quia proximiores sunt Deo. Si igitur Deipara proximior fuit omnibus aliis creaturis fuit Deo, quem in suo utero recepit; ipsa magis de divina charitate participare debuit.

6. Nemo magis participavit de incarnatione Verbi Dei, quam Deipara, quae illi materiam incarnationis praebuit, id est suum purissimum sanguinem, eumque genuit, et nutrit. Sed effectus praecipuus incarnationis est *Charitas Dei, quae diffusa est in cordibus nostris* (ad Rom. 5. v. 5.); sed Quia Dei incarnatus in utero Virginis Mariae ignem venit mittere in terram, et nihil aliud voluit, nisi ut accenderetur (Luc. c. 12. v. 49); ergo praecipue debet charitas diffusa esse debuit in corde Deiparae; et divinus ignis accendere debuit principaliter, et super omnes alios eius cor, eo quod ipsa proximior fuerit fornaci amoris. Hoc est Deo, uti iam supra demonstravimus. Quod si Ioannes, eo quod in extrema coena recubuit supra pectus Domini, tanto divini amoris igne fuit aestuatus, ut ipse prae ceteris discipulis, Iudaeos non pertimescens, cruci ad extremum usque vitae Christi adlirerit; quanto divini amoris incendio illam aestuasse putabimus, quae cum pro novem menses in sinu portavit; quae castissimus nutritur uberibus de coelo plenis; et quae ipsam suis unis pluries complexata est?

7. In evangelio divi Lucae (c. 7) habetur, quod Christus Pharisaeum interrogavit de duobus debitoribus, quibus remissum fuit debitum, quorum unus debebat quinquaginta denarios, alius centum; quis eorum plus diligere deberet crediorem remittentem. Pharisaeus respondit, illum profecto ad maiorem dilectionem teneri, cui magis donatum fuerat: et Christus hanc responsum approbavit, dicendo: *Recte iudicasti*. Atqui beatissimae Virginis super omnes donatum fuit a Deo: evecta enim fuit ad dignitatem excellentissimam, et elevata super omnes Adae posteros, et angelicas potestates. Ergo beatissima Virgo Deum super omnes diligere debuit. Sed quod debuit, heroeice fecit; alioquin non implevisset suum debitum, et non fuisset sancta. Ex dictis igitur colligi potest, Deiparam maiorem habuisse charitatem, quam omnis creatura.

8. Praeterea amor est de corde puro, conscientia bona, et charitate non ficta, ut loquitur Apost. (1. ad Timot. cap. 1. v. 5). Ergo ubi maior est puritas, ibi maior debet esse amor: nam, uti exponit hunc locum doctissimus a Lapide, *puritas gignit charitatem*. Sed Deipara Virgo habuit puritatem in summo, et quod sub Deo maior intelligi nequit. Ergo et amorem debuit habere in summo, cui inter creaturas aequalis intelligi nequit.

9. In Prov. (cap. 8) legitur: *Ego diligentes me diligo*. Sed Deus supra omnem creaturam dilexit beatissimam Virginem. Ergo ipsa ad eum maximum super omnem creaturam habere debuit dilectionem: unde recte Spiritus s. in Cantici (c. 1) vocat Mariam *amicam suam*: inter amicos namque magna dilectio esse debet.

10. Haec examinandum occurrit, quantumnam Maria Deum in praesenti vita dilexerit. Certum est, quod communiter loquendo, status viae inferior est statu patriae. Videtur igitur, quo Deipara in hac vita Deum diligere debuisset minus quam ipse diligitur in coelo ab angelis et beatis comprehensoribus. Verum considerandum est cum d. Alberto magno (sup. Missus est c. 96.), quod amor beatorum comprehensorum in coelo non est meritorius: e contra beatissima Virgo mereri debebat, dum in terris versabatur. Quid autem mereri debebat Maria? tantam profecto gloriam, quanta superare et excedere posset gloriam omnium angelorum et sanctorum. Ergo maximum amorem habere debuit, ob quem maximam gloriam adipisci in coelis posset. Aliqui etiam doctores opportune advertunt, quod licet de communi lege creatura viatrix non possit amare Deum actualiter et continue, sed interrupte, quia distracta est a rebus sensibilibus, et saltem quando dormit de Deo cogitare non potest actualiter; tamen beatissima Virgo hoc etiam singulari privilegio ditata fuit, ut incessanter Deum amaret.

11. Sancti Patres, et sacrarum Scripturarum interpretes, dum exponunt illa Cantico-rum verba (cap. 5. vers. 2): *Ego dormio, et cor meum vigilat*, dicunt, quod etiam dormiente beatissima Virgine, non interrompebantur actus eius ardentissimae charitatis, et cor eius vigilabat: quia per diem tanto fervore rapiebatur ad divina meditando, et ad continuos amoris erga Deum actus, ut eodem dormiendo et somniando iteraret. Sunt aliqui, qui opinantur, b. Virginem, sopitis inter dormiendum sensibus, per singulare Dei donum mentem habuisse solutam et vigilantem, ita ut liberis actus eliceret, ac in ardentissima orationis et amoris suspiria erumperet. Rupertus abbas sic opportune huic sententiae adimplatur: *Multarum, inquit, animarum fuit et est, non solum secundum illam similitudinem otio sancto dormire, id est a terrenis curis vacare, et in coelestibus per contemplationem corde vigilare; verum etiam eodem modo, quo et Iacob tunc dormivit, secundum corpus dormire, et secundum animam per somnium coelestia videre, iuxta illud: Senes vestri somnia somniant, et juvenes vestri visiones videbunt. Sed, o Tu, coelum Dei, unica sedes Domini, in utroque vigilantiae modo cunctis mortalibus, sive terrenis hominibus longe eminentior castitatis, longe studiosior ad contemplandum eum. S. Ambrosius (lib. 2. de Virg.) etiam huic sententiae adhaeret, dicens: *Dormire non prius cupiditas, fuit (b. Virginii) quam necessitas: et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronuntiat*. Ne vero nimis prolixi simus,*

divi Bernardi tantum testimonium subiungimus, qui (tom. 2. serm. 51. art. 1) sic loquitur: *Somnus qui abyssat et sepelit in nobis rationis et liberi arbitrii actus, et per consequens actum merendi, non credo quod in beata Virgine talia fuerit operatus; sed anima eius libero ac merito actu tunc tenebatur in Deum. Unde illo tempore erat perfectior contemplatrix, quam unquam fuerit aliquis alius dum vigilavit*. Sic quoque de beatissima Virgine in somnis operante et Deum amante loquuntur alii permulti Patres videndi apud a Lapide (in cap. 5. Cant.).

12. Rursus, si quis quaerat, quantum Maria Deum dilexerit, qui respondo quod a primo instanti suae conceptionis immaculatae Deum summoque diligere coepit; et tantum diligere coepit, quantum opus erat, ut fieret idonea Mater Dei. Verum haec observare oportet, quod in quolibet instanti suae vitae hic amor semper crevit, ipseque de die in diem progressus fuit usque ad eius felicissimum transitum; ita ut excellentissime in ea impletum fuerit illud Prov. (c. 4): *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit usque ad perfectam diem*. Porro praetermittenda non est doctrina celeberrimi theologi Suarez (3. part. de sup. 18. sect. 4.), qui ostendit gratiam beatae Virginis in primo conceptionis eius instanti, per suam cooperationem, et ferventes actus charitatis, quos ipsa quolibet momento eliciebat, fuisse semper duplicatam. Hinc si in primo instanti ob actum sui amoris habuit ex. gr. mille gradus gratiae, in secundo instanti habuit bis mille, in tertio habuit quatuor mille, in quarto habuit octo mille; et sic usque ad annum 72 suae aetatis, et ad momentum sui obitus. Hec quoque pervenire debuit gradus suae charitatis erga Deum in momento sui transitus: Hinc merito divus Bernardus (in serm. de Assumpt.) ait: *Sicut ugnis in cinerem Marianam redigit; ita amor Dei ad cinerem Marianam redigit*.

13. Adhaec amor Dei triplex est, nempe naturalis, supernaturalis, et acquisitus. Hic triplex amor egregie exiit in Maria. Amore naturali unaquaque creatura suum Creatorem plusquam seipsam diligere tenetur. Verum beatissima Virgo, praeter communem amorem, quo diligere Deum debet omnis creatura, specialissimum amorem habuit, qui fundatus erat in divina maternitate; maternus autem amor alios amores longe superat, ut legitur Isaiae (cap. 49): *Nunquid oblitiscis potest mulier infantem suum, ut non misceretur filio uteri sui? Etiam irrationabiles matres suos natos amant naturaliter. Nonne gallina pullos suos sub alas congregat? Iaeana quid pro leonculis non peragit, ut eos tutelet? aquila ad volandum amantem provocat pullos suos: pellicanus pectus sibi aperit et dilanant, ut suos natos proprio sanguine nutriet et foveat. Quomodo ergo amore mulier rationabilis filios uteri sui diligit? Sed Maria inter omnes matres excellentior exiit, utpote quae abique humano concursu Filium suum de Spiritu sancto concepit. Ergo etc. — Et animadvertendum est, naturali amore matres prosequi solere filios, licet sint deformes, inobedientes, et vitiosi, uti experientia ipsa nos docet. At Filius Mariae fuit: *Speciosus forma prae**

illis hominum (Psal. 44. v. 3): in omnibus se obedientem exhibuit matri suae: *Erat subditus illis* (Luc. c. 2. v. 51.): nec malus et vitiosus fuit, sed contra innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelisior coelis factus (Hebr. cap. 7. v. 26). Ergo summo amore naturali beatissima Virgo prosequi Filium debuit.

14. Amavit Deum etiam amore supernaturali, qui per gratiam infunditur, iuxta illud Apostoli (ad Rom. c. 5): *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Igitur tantus fuit amor supernaturalis in Deipara, quanta fuit gratia ei infusa. Sed gratia illi collata iam a primo instanti suae conceptionis tanta fuit, ut superaret omnem aliam, sive angelicis creaturis, sive humanis, praeteritis, aut futuris, etiam cum humilis sumptis, collatam: et haec gratia fuit ad miraculum acta in sua ad dignitatem Matris Dei elevatione, dicente Angelo (Luc. c. 1. v. 28): *Gratia plena. . . Spiritus sanctus superveniet in te*. Ergo amor supernaturalis in Deipara fuit propemodum immensus.

15. Denique Deipara amavit Deum amore acquisito, quem in suo corde fovere et augere non destitit spiritualibus exercitiis, iugi meditatione, frequenti oratione, et rerum coelestium contemplatione. Re namque vera, quid aliud egi Maria a teneris unguiculis in templo, ansequam Iosepho desponsaretur? Nihil aliud profecto et cordi fuit, nisi iugiter altissimae contemplationi incumbere, et incessanter divinis laudibus vacare. In huiusmodi piis exercitationibus ad miraculum usque profectus postquam ad divinae Maternitatis fastigium evecta fuit. Tunc temporis profecto tot in ea amoris intensissimi actus, quot pulsationes, quot cordis palpitantes, quot vitae momenta. Verum, postquam Iesus ad dexteram Patris in coelis ascendit, amor Deiparae novis facibus incendi visus fuit. Sophronius, Canisius, Guericus abbas, alique opinantur, eam prae nimio amore divelli non potuisse a Calvariae rupe, a spelunca sepulchri, et ab aliis locis in quibus Filius suus diversatus fuit, cum in terris ageret.

16. Constat etiam, Deiparam miro nexu coniunxisse activae contemplativaeque vitae operationes, nunc docendo, instruendo, solando Apostolos, primitivosque discipulos; nunc divinis laudibus, et meditationibus vacando.

17. Quis autem meliori poterit, quantum vis amoris exereverit in corde Deiparae? Profecto intensitas charitatis secundi instantis suae conceptionis vehementer fuit charitate primi instantis, ut docet Suarez (disput. 17. sect. 2), et nos superius innuimus; sicque progressa fuit de die in diem, ut novis quotidie inflammaretur affectibus, usque dum tanta fuerit vis amoris, ut nullo morbo correpta, nullo dolore vexata, sed divino igne aestuans, obierit, nisi concorditer docent Damascenus (orat. 2. de dormit. b. Virg.), Simeon Metaphr. (orat. de vita Deip.), b. Albertus Magnus (in suo *Mariol.*), aliique.

18. Sed veniamus nunc ad considerationem amoris particularis Deiparae Mariae erga suum Filium benedictum. Sane tres amoris praerogativae in Virgine desiderari non debuerunt; nempe

pe ut Iesum amaverit dulciter, fortiter, sapienter. Dulciter, ad differentiam amoris terreni, qui plenus et focundus esse solet anxietatum, amaritudinis, et inordinationis. Amor vero Virginis fuit ordinatus, pacificus, et dulcis: nam in corde eius immaculato infusus fuit a Spirito sancto eiusdem sponso, qui non in commotione, venire solet, et disponit omnia suaviter.—Insuper amavit fortiter, et nulla tribulatione a Filio sui potuit divelli et separari. Re quidem vera, etiam Apostolis in Christi passione fugientibus, ipsa immobilis stetit iuxta crucem. Unde recte illud Proverbiorum (cap. ult.): *Non extinguetur in nocte lucerna eius*, rectissime a sacerdotum Scripturarum interpretibus huic mulieri antonomastice forti accomodatur, cuius lucerna charitatis et amoris in nocte Dominicae passionis extincta non fuit; quinimo magis ramis exarsit, et lumen effudit. Hinc ad magis Ambrosius (super Luc. ait: *Eugentibus Apostolis, Maria ante crucem stabat, et propriis oculis vulnera Filii spectabat*. Quod si in altari veteris Testamenti (Levit. 6) ignis sacer semper ardere debuit; in altari cordis sacratissimae Virginis Mariae, nec ad momentum quidem aestuare debuit; in altari cordis sacratissimae Virginis Mariae, nec ad momentum quidem aestuare debuit.—Tertio denique amavit sapienter; ideoque, licet Christum summe diligere, nunquam ipsum rogavit, quominus crucem ascenderet; et postquam illum crucifixum vidit, nunquam illum suavit, ut de cruce descenderet, et tantos dolores devitaret. Si igitur in Scripturis sanctis docetur, quod ponderari nequit pondus ignis; quis poterit ignem Divini amoris, quo cor immaculatum Deiparae aestuavit, apte et convenienter ponderare?—Iam dieta pro ingenii nostri exiguitate sufficiant; et nunc ad secundam partem gradum faciamus.

II.

Deipara etiam relate ad proximos recte salutatur S. MARIA AMORIS.

1. Doctissimus Bernardinus de Bastis (in *Mariol.*) hoc argumentum conficit: Dilectio proximi mensurari debet a dilectione Dei; et tanto magis quis amat proximum, quanto plus amat Deum. Atqui beatissima Virgo amavit Deum Deum. Atque beatissima Virgo amavit Deum in gradu summo creaturis possibili. Ergo in gradu summo creaturis possibili dilexit et diliguit proximum. In dubium vocari nequit, quod in Evangelio legitur, nempe (Joan. cap. 15. v. 13): *Maiorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Dicere ergo quis posset, quod amor Deiparae erga proximum non fuit in gradu summo, eo quod ipsa mortem non obierit, et animam suam pro proximo non posuerit. Verum nonne ipsa animam millies pro proximo posuit, quae Filium suum, quem supra animam suam diligebat, pro mundi salute obtulit? Ad haec certe alludebat Simeon, quando dicebat (Luc. 2): *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*: Virgo enim benedicta in Filii sui passione compassa fuit, cruci cum ipso coneruefacta, et ipso moriente commortua.

2. Verum abs re non erit characteres dilectio-

nis erga proximum in beatissima Virgine inspicere: et dico quod ipsa creaturas dilexit dilectione ordinata, et pulchra. De prima in Canticis Canticoorum (c. 2. v. 4) sponsa dicit: *Ordinavit in me charitatem*; de secunda vero in Ecclesiastico (c. 24) legitur: *Ego mater pulchrae dilectionis*.

3. De amore ordinato Deiparae verba facturi, absinemas a demonstrando, quod huius ordinationis vi ipsa primario et super omnia Deum dilexit. Hoc ex praeallegatis patet. Videamus potius dilectionem benedictae Virginis ordinatam relate ad proximum. Hic ordo eluxit quammaxime, cum redemptionem humani generis, et gloriam Dei, quae inde sequebatur, praeposuit deliciis inenarrabilibus, quibus ex conversatione cum Christo fruebatur; et maluit potius Filii sui dulcissimo aspectu privari, quam mundum in barathro perditionis relinquere (vide a Lapid. sup. *Cantic. Canticoorum*, cap. 2. v. 4).

4. Praeterea dilectio, qua Deipara prosequuta fuit proximos, fuit pulchra. D. Augustinus quadruplicem dilectionem distinguit, nempe naturalem, socialem, carnalem, et spiritualem. Ex his duae priores, nempe naturalis et socialis, possunt esse virtuosae, vel turpes, prout in ipsis adest ordo, vel inordinatio. Tertia dilectio, nempe carnalis, vitiosa esse solet, et a via rectitudinis et ordinis deflectere facit. Postrema dilectio dilectio, quae a divo Augustino appellatur spiritualis, est illa, quae habetur inter animam et Deum, vel inter creaturam rationalem et proximos, sed respectu Dei. Haec dilectio erga proximos pulchra est: pulchra, quia praecepta a Deo, et in corde hominis ab ipso suae creationis exordio indita fuit; in lege scripta in praeceptis tabulae consignata; et in lege gratiae frequentissime inculcata: pulchra ratione modi; nam omnia ordinata sunt in hac dilectione.

5. In beatissima Virgine haec dilectio heroica fuit; et sic proba.

Evangelista Ioannes (cap. 3. v. 16) ad magnificentiam aeterni Patris amorem erga homines, his verbis utitur (Jo. c. 3. v. 16): *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Ergo a pari, si Deipara Virgo etiam Filium suum unigenitum dedit libentissime pro mundi salute, et eius oblationi in cruce non obstitit, quinimo illi mirifice favit ab eo usque tempore, quod dignitatem Matris Dei acceptavit; concludi recte potest, quod ipsa heroica mundum dilexit. Ad rem igitur divus Antoninus (4. part. tit. 15. cap. 20. §. 11) subiungit: *Quod dicitur ab Apostolo (Rom. 8) de aeterno Patre Christi, id et de eius Matre temporari dicit potest: Proprio Filio suo non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*.

7. Philippus Boshenus Franciscanae familiae (serm. de circumcis. Dom. paragr. 1. n. 8) tantum amorem erga genus humanum in beata Virgine agnoscit, ut si neque ultus Iudas proditor fuisset, neque ultus Iudaeus emptor, nullus Pilatus, nullus virgator, nullus lictor; ipsa, ut nos redimeremur, et Dei voluntas impleteretur, suum Filium Iesum sui cordis delictum, propemodum fuerit crucifixura, si id citra peccatum posset.

LIPPOLA de titul. B. M. V.

8. At quidam auctor in illa verba (Jo. c. 19. v. 25): *Stabat iuxta crucem, illa loquitur: Quare stantem lego, stentem non lego? Quare cum Filius benedictus Mariae horrendo cruceretur et insultaretur, ipsa non scilicet suis vestes prae magnitudine et vehementia doloris, uti David, cum et nunciata fuit mors Absalon Filii sui; et capillos capitis sui non a sua fronte abstraxit, uti Iob? Stetit profecto viriliter iuxta crucem, eo quod cor eius confortatum fuerit, et dilectio animi sui pulchra et ordinata erat, ipsa dicente: *Ego mater pulchrae dilectionis* (vide Bern. de Bost. part. 8. serm. 2).*

9. Verum cui comparare poterit Virginem Deiparam ob eius heroicam dilectionem erga proximos? Profecto prudentissimae Esther, quae ut Hebraeos morti damnatos invari, Assuero se praesentavit, et gratiam pro suis concivibus impetravit: Iudith liberet prudentissimae, quae ut Bethuliam liberaret, seipsam periculis multis exposuit: pulcherrimae Abigail, quae Davidem contra Nabal iratum placavit: Theaisti mulieris, quae Absalonis revocationem ab exilio obtinuit. Quid plura?

10. Haec dilectio necessario beatissimae Virginis cordi inesse debuit. Re quidem vera ipsa fuit gratia plena, et Spiritu sancto superabundanter repleta. Sed si defuisset illi charitas, tum relate ad Deum, tum relate ad proximos, in ipsa desideraretur principalior gratia, dicente Apostolo (1. Cor. c. 13. v. 1): *Si habuerio omnem fidem etc. charitatem autem non habuero, nihil sum: nec dici posset, ipsam plenam fuisse Spiritu sancto, deficientem charitate; nam idem Apostolus ait (ad Rom. c. 5. v. 5): Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per incubantem tabulae consignata*.

11. Adhaec certum est, Iesum in cruce pendente, Mariam Ioannis, et in eius persona, omnium fidelium matrem constituisse. Dedit ei igitur profecto viscera materna, et maternum amorem in eius corde infudit. Deipara autem mater omnium fidelium constituta, omnibus se matrem amantissimum exhibet, non modo iustis, sed et peccatoribus, dummodo sint poenitentes: et instar Rebeckae uxoris Isaac, quae sensit duos filios, qui in utero eius collidebantur, nempe Esau et Iacob (Genes. 25. 22); sic Maria mater est iustorum et peccatorum, primis perseveranter in bono, et augmenta virtutum, secundis donum poenitentiae, et sinceram contritionem impetrando.

12. D. Ioannes (ep. 1. c. 3. v. 14) inquit: *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte*. Evidenter autem in hoc loco sermo est de dilectione proximi; et cum dicitur: *Qui non diligit, manet in morte*, haec verba non nisi de morte spirituali, quae peccatum consequitur, accipienda sunt. Sed beata Virgo nec per momentum quidem fuit in morte peccati. Ergo ipsa semper dilexit proximos.

13. Divus Ildelfonsus (in serm. 1. de Assumpt.) docet, Deiparam diligere homines, quia Spiritus sanctus in eam superveniens, sic eam incanduit et ignavit, ut ipsa nihil aliud, nisi a morem Dei et proximi sentiret.

14. Origenes (tom. 1. in Jo. in praef.) docet,

christianos in Christo velut inesse: qui enim vere christianus est, non amplius vivit ipse, sed in ipso vivit Christus. Si ergo Maria non potest non diligere suum benedictum Filium Iesum; consequenter non potest non diligere homines, qui sunt membra illius capitis.

15. Unus idemque est habitus charitatis, quo diligitur Deus et proximus, teste divo Thoma (2. 2. qu. 25. art. 1). Cum ergo habitus charitatis, quo Deipara diligit Deum, sit maximus in ipso; sequitur et habitum (ac consequenter actum, qui habitui adequatur), quo diligit homines, in eadem debere esse maximum.

16. Christus Deiparam praefecit Ecclesiae; ideoque, testantibus permultis Patribus, eam reliquit in hoc mundo post suam ad caelos ascensionem, ut ipsa Apostolos erudiret, consilio foveret, et Ecclesiae constablandae cum ipsis operam navaret. S. Amedeus sic loquitur: *Voluit Iesus, ut ipso ad Patrem revertente, Apostoli materna eruditione fruereutur, qui licet docti essent a Spiritu sancto, ab illa etiam potuerunt edoceri, quae Solem sapientiae genuit. S. Eusebius Emisense subiungit: Ipsa dictante Apostoli et Haecreticis scripserunt. Ruperus abbas in haec verba prorumpit: Utique oportebat, o beata Virgo, te esse magistrorum, idest Apostolorum magistrum. Lucius Dexter sic loquitur: Nihil grave gesserunt Apostoli, quod non eius patrocinio, ductoque gesserint. Tandem doctissimus a Lapide, super illa verba Proverbiorum (c. 8.): Ego eruditus intersum cogitationibus, dicit, huic lectum sic verti posse: Ego sapientibus semper consilia suggessi. Laudatus vero a Lapide haec de beatissima Virgine eleganter scribit: Ipsa lapsos Apostolos colligebat, afflictos solabatur, titubantes solidabat, dubios erudiebat. — Illic praemissis, clarissime patet, quod sicut a divo Petro Christus, dum eum praefecit Ecclesiae, summum exegit amorem, ut oves suas pasceret (Io. cap. 21); sic pariter Deiparam Ecclesiae praeficiens, ipse qui scrutator est cordium, de summo Deiparae amore erga homines certus esse debuit.*

17. Magnitudinis amoris beatissimae Virginis erga proximos tot adsunt argumenta, quot beneficia, ipsa intercedente, a Deo hominibus collata.

18. Pro coronide, characteres amoris a divo Paulo (1. Cor. c. 13. v. 2), enumerati in beatissima Virgine non desiderantur nempe habitus charitatem benignam, patientem, non accumulatricem, non quaerentem quae sua sunt etc. Utinam ad imitationem amoris cordis Deiparae, etiam omnia nostra in charitate fiant (1. ad Cor. c. 16. v. 14)!

III.

Beata Virgo iure merito salutaris Mater pulchrae dilectionis.

1. Respectu Christi Deipara est *Mater pulchrae dilectionis*.—Christus, utpote Deus, *charitas est*, testante d. Ioanne (epist. 1. cap. 4. v. 16): *Deus charitas est*. Est enim Deus, ut docet Dionysius (de Divin. nomin. cap. 14), merum, summum, infinitum bonum, cuius natura

est esse sui diffusivum, et plane pleneque communicativum; quod proprium est charitatis. Sed beatissima Virgo est vera Mater Christi; et Christus est pulcher (Cantic. cap. 1. v. 13), et speciosus forma prae filiis hominum (Psal. 44. v. 3); igitur iure merito ipsamet appellatur *Mater pulchrae dilectionis* (Eccl. cap. 24. v. 24), nempe Mater Iesu Christi, qui est pulcher, et est ipsamet dilectio.

2. Christus antonomastice *charitas* dici potest, nam animam suam pro nobis posuit, ut divus Ioannes docuit (ep. 1. cap. 3. v. 16): *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit*. Si igitur Christus antonomastice *charitas* et dilectio dici potest; cum Deipara sit vera Mater Christi, consequitur, etiam ipsam, *Mater pulchrae dilectionis* antonomastice posse saluari; ut eam in sacris liturgiis catholica Ecclesia ipsam salutat.

3. Respectu hominum etiam *Mater pulchrae dilectionis* est Deipara. — Charitas et dilectio habetur per gratiam Dei; quinimo gratia sanctificans, et charitas idem sunt, ut docet divus Thomas (2. 2. qu. 172. art. 4), ex cuius auctoritate patet, gratiam sumi pro dilectione. Huiusmodi vero gratiam ac dilectionem homo lapsus non consequitur, nisi per Iesum Christum. Igitur, cum Maria sit Mater Christi; et cum homo non possit consequi gratiam, et dilectionem, nisi per Iesum Christum, sponte consequitur, Deiparam dici debere *Materem divinae gratiae* (Eccl. in litan. Laur.), et *Mater pulchrae dilectionis* (Eccl. cap. 24. v. 24).

4. Catholica Ecclesia (in hymn. Breviar.), et sancti Patres antithesim institunt inter Evam Adae uxorem, et Mariam, alteram Evam, Spiritus sancti Sponsam. Sicut autem prior Eva exemplo suae inobedientiae concepit dolorem in se, et peperit iniquitatem in omnes Adae posteros (Psal. 7. v. 13): quae iniustitia et iniquitas dilectioni erga Deum directe opponitur; ita Deipara Virgo, Eva secunda, exemplo suarum virtutum, in corde suo concepit iustitiam, et in corde suorum filiorum peperit gratiam (non uti causa primaria efficiens, sed uti mediatrix): quae gratia animam Deo per dilectionem coniungit. Igitur Deipara *Mater pulchrae dilectionis* salutaris debet.

5. Adam suae uxori nomen Evae imposuit, quod interpretatur, *mater vinculorum viventium* (Genes. cap. 3. v. 20). Verum observant plerique Patres, quod immerito prima mulier mater viventium fuit appellata; cum potius mater dici debuisset mortuorum: ipsius enim suasionem Adam peccavit, et peccando amisit pro se et pro suis posteris vitam gratiae, quae in dilectione consistit, testante Ioanne (ep. 1. cap. 3. v. 14): *Qui non diligit, manet in morte*. At si Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit: si illa percussit, ista sanavit: et si illa mortem in hunc mundum invehit, ista vitam huic mundo attulit; vitam inquam charitatis et dilectionis: nam si: *Qui non diligit, manet in morte; e contra qui diligit, manet in vita*. Patet igitur, quod si Deipara fuit vera mater viventium: et si vita spiritus habetur per dilectionem; Maria iure merito salutaris *Mater pulchrae dilectionis*.

6. Divus Paulus, quos in Christo per charitatem genuerat, suos filios appellabat: *Filii mei, quos iterum parturio* (Gal. 19); alibi idem Apostolus (1. ad Cor. cap. 4. v. 15) inquit: *In Christo Iesu per evangelium ego vos genui*. Verum si divus Paulus per charitatem filios genuit evangelio; potiori profecto ratione Deipara Virgo mater hominum dicenda est, quae suo exemplo, et potentissimo patrocinio, velut nos genuit et parturit ad gratiam et dilectionem.

7. Deipara indubitanter intensissime Deum dilexit ac diligit; et idcirco augmentum divinae gloriae (de gloria accidentali loquimur) ipsi summopere cordi esse debet. Ergo necessario debet diligere proximos, ut per ipsos honorificetur Deus (1. Petr. c. 4. v. 11). Adhaec si hominum redemptionem beatissima Virgo tam magnifice adiuvit, ut merito dicatur *humani generis correptrix*; consequens est, ipsam in votis quae maximum habere debere, ut Filius suus non frustra sanguinem suum pretiosissimum fuderit, et ipsamet non in vacuum tot dolores perpessa fuerit. Igitur Deipara debet proximos diligere; ac proinde est *Mater pulchrae dilectionis*.

8. Respectu angelorum etiam benedicta Virgo iure salutaris *Mater pulchrae dilectionis*.—Nonnulli theologii et Patres asserere non dubitant, angelos honos a Christo redemptos esse, non quidem, per ereptionem a peccati captivitate, sed per servationem a lapsu; et docent, ipsum Christum mense angelis gratiam, quam possident, et gloriam, qua fruuntur. D. Fulgentius (lib. 2. ad Trasimund. cap. 3) inquit: *Una est in utroque, scilicet angelo et homine gratia operata; in hoc ut surgeret, in illo ne caderet*. Accinit s. Bernardus (serm. 22. in Cantic.): *Qui erexit hominem lapsum, dedit angelo stanti ne laberetur*. Huic sententiae favere videtur etiam d. Hieronymus (sup. epist. ad Eph. c. 1).—Non parvi sunt ponderis verba Doctoris angelici (in Ioan. cap. 1. v. 16): *De plenitudine eius omnes nos accepimus, scilicet omnes apostoli, patriarchae... et etiam omnes angeli: et in sua Summa theologica (3. p. q. 7. art. 9) quaerens utrum in Christo sit plenitudo gratiae, affirmat dicens, in Christo esse hanc plenitudinem, quia collata est ei gratia, tanquam euidam universali principio in genere habentium gratiam, in quo genere sine dubio angeli comprehenduntur. Nos huiusmodi quaestionem indefinitam relinquentes, illud pro certo affirmamus, nempe, Christum caput esse Ecclesiae, quae, uti laudatus d. Thomas docet (3. p. q. 8. art. 4) secundum statum vitae est congregatio fidelium, sed secundum statum patriae est congregatio comprehendendum; inter quos comprehendentes angeli procul dubio recensentur; quod docet etiam Apostolus (ad Coloss. c. 2. v. 10): *Est etiam in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis; et ad Hebraeos (cap. 12. v. 22) inquit: Accessistis ad Sion montem... et multorum millium angelorum frequentiam, et ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in caelis*. Unde d. Hieronymus (in cap. 1. ep. ad Eph.): *Non solum, inquit, hominum, sed etiam angelorum... Ecclesia intelligi potest*.—Hoc etiam pro certo affirmamus, ad capitis rationem, inter alia hoc requiri, quod influat in*

omnia membra; quod quidem saltem de gratiis accidentalibus intelligi debet, quae apostolus quaedam sunt incarnationis. Hinc Apostolus (ad Ephes. cap. 3. v. 10): *Ut innotescat, inquit, per Ecclesiam principatus et potestates multiformis gratia Dei*. Haec autem abs re non erit audire d. Thomam, qui sic ait (1. p. q. 62. art. 9): *Potest augeri angelorum gaudium de salute eorum, qui per ipsorum ministerium salvantur, secundum illud Lucae (c. 15): Gaudium est angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente. Sed hoc gaudium ad praesens accidentale pertinet; quod quidem augeri potest usque ad diem iudicii*.—Ex omnibus superius expositis sequens exurgit argumentum.—Angeli a Christo repetunt gratiam et gloriam, saltem accidentalem. Sed Christus quidem gratiae et gloriae contulit, totum mediantem Maria operatus est. Ergo angelus a Maria repetunt huiusmodi gratiam et gloriam; ac proinde ab ipsa habent, ut magis magisque diligant. Insuper d. Anselmus (lib. 6. de orat.) affirmat, Deiparam esse reparatricem ruinae angelorum; qui accinit s. Vincentius Ferreri (ser. de nat. Mar.), qui inquit: *Per Mariam reparantur angelorum cathedrae*. Si igitur pro reparatione sedium angelorum angelorum accidentale gaudium, et dilectio; hoc ipsi nominis ex Maria provenit. Denique angeli aspiciendo in caelis Deiparam tam gloriosam, quot quantisque flammis dilectionis erga ipsam incendi debent? Huius vero dilectionis cum Maria sit causa, cuius vultum, melius quam vultum Salomonis, quem desiderabat universa terra (3. Reg. 10), desiderat universa coelestis curia; iure salutanda est *Mater pulchrae dilectionis*. Hinc s. Bernardus (tom. 2. serm. 11. art. 2. c. 1) inquit: *Beata Virgo ab ipso Patre aeterno recepit fontalem foecunditatem ad generando omnes electos, et etiam ipsos angelos in aliquo gustu, et gradu, et experientia dinorum: et divus Antoninus (p. 4. tit. 15. c. 14. §. 3.) optima id firmat ratione, dicens: Si angeli recipiunt illuminationem, perfectionem et beatificationem a Iesu, per quem omnia restaurantur in caelo, et in terra: ergo b. Virgo, cum sit mater Iesu, causa est aliquo modo gloriae angelorum, ut apte dicatur mater eorum*. Adeo vero Deus beatissimam Virginem dilexit, ut theologii disputent, an ipsa sola magis sit Deo amabilis, quam tota Christi Ecclesia. Licet autem non desint patroni negantis sententiae; tamen communior et verior sententia videtur affirmativa, ob multas rationes adductas a Micchoviensi (in litan. ad tit. Mater amabilis). Denique s. Bernardus docet (serm. 1. super Salve Reg.), tam Deo dilectam esse Mariam, ut propter ipsam solam mundus factus sit: et d. Fulgentius (lib. 4. Mythol.) subiungit: *Caelum et terra iamdudum ruisset, si non Maria precibus sustentasset*.

IV.

Deipara Virgo amabilis est.

1. De duce israelitici populi Moysae dicitur (Eccl. cap. 45. v. 2.): *Dilectus Deus et hominibus*. Potiori iure id affirmari debet de beatissima Virgine Maria.

2. Deo dilectam fuisse Deiparam Virginem, supra omnes creaturas indubium est: nam angelus Gabriel ei dixit: *Invenisti gratiam apud Deum* (Luc. cap. 1. v. 30).

3. Amata et dilecta fuit Deo 1. ob humilitatem.—Nihil tam odibile est Deo, quam superbia; et e contra, nihil tam amabile, quam humilitas: unde Iob (cap. 3.) dicit: *Qui ponit humiles in sublime: et ipsa Virgo Maria in suo Cantico Magnificat idem declaravit dicens: Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.*

4. Heic abs re non erit audire in primis Sponsum coelestem, deinde dilectam Sponsam Deiparam.—Sponsus in sacro Canticorum libro (cap. 4) ad Dilectam conversus sic loquitur: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in uno ocedorum tuorum, in uno crine colli tui.* Audiamus Rupertum abbatem qui (lib. 3. in Cant.) ait: *Quid uno crine graecus, et quid humilitate subtilius? Deipara vero Virgo verba Canticorum assumens (c. 1. v. 11), sic loquitur: Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Quid significat nardus, herba humilis, nisi humilitas Virginis (s. Bern. serm. 42)?*

5. Amabilis fuit Deo ob charitatem.—Deus in sacro Proverbiorum libro (c. 8. v. 17) dicit: *Ego diligentes me diligo.* Sed nos iam superius abunde demonstravimus, Deiparam heroice et super omnes creaturas Deum dilexisse. Ergo et ab eo diligi debuit.—Alibi Christus apud Ioanem (cap. 14. v. 21.) sic loquitur: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* Si igitur beatissima Virgo Christum indubitanter dilexit, dilecta esse debuit ab aeterno Patre, et consequenter etiam a Filio et a Spiritu sancto.

6. Amabilis fuit Deo ob virginitatem.—D. Gregorius affirmat, quod *prima Virgo trinis est.* Pater enim in virginitate, et absque ullo consortio generat Verbum in splendoribus sanctorum: Filius dicitur *Sponsus virginum*, et nascitur *inter lilia*: Spiritus sanctus denique est purissimus substantialis amor Patris, et Filii. Sed similitudo, testante d. Thoma (1. 2. q. 27. a. 3. et q. 99), est causa amoris. Si ergo benedicta Maria virgo extitit in toto vitae suae curriculo, assimilata fuit Deo; ac proinde a Deo summe dilecta.

7. Sed licet *omnis decor filiae Regis ab intus*; et Deipara Maria dilecta fuit Deo praecipue ob virtutes, tamen amabilis extitit etiam ob pulchritudinem suam corporalem.—Si tam pulchrae fuerunt Esther, Iudith, Abigail, Rachel, quae a longe adumbrarunt Deiparam; quanto illas superare debuit ipsa benedicta Virgo? Si tandem indubium est, Mariam genuisse *Speciosum forma prae filiis hominum* (Ps. 44. v. 3); quantum, quaeso, pulchram esse oportuit illam, quae sola, absque viri consortio, illum genuit? Hinc merito Sponsus in Sacro Cantico-

rum libro (c. 1. v. 14) suam dilectam *pulchram* appellat.

8. Pro coronide demonstrandum superest, Deiparam Virginem amabilem esse hominibus.—Homines amare solent vel quod necessarium est, vel quod utile, vel quod iucundum. Igitur sub hoc triplici respecta diligere debent Deiparam.

9. Necessarium est diligere Mariam. Re quidem vera quidquid nobis boni accidere potest, a merito incarnationis profuit. Atqui in merito incarnationis Verbi Deus associatam voluit Mariam. Ergo, si aliquid boni cupimus, necessarium est ad Mariam recursum habere, eamque diligere. Hinc merito Patres docent, nullam gratiam consequi fideles, nisi per Mariam: hinc ipsi Ecclesiae Patres observant, in Evangelio vix quid a Christo operatum reperiri, ubi non fuerit Maria adiuncta. Verbum incarnatur, sed in Mariae utero: Christus nascitur, sed ex Maria Virgine: panis a Maria involvitur: lacte a Mariae uberibus nutritur: Pastores et Magi Christum infantem sine Maria non inveniunt: Simeon puerum Iesum a Mariae ulnis suscipit: si in templo Christus duodenis inter doctores manet, Maria eum quaerit et invenit: si praedicat turbis, Maria eum audit: in nuptiis Canae Galilaeae ad Mariae supplicationem aquam in vinum convertit: pendet in cruce, et Maria iuxta crucem stat: resurgit, et primo Mariae se manifestat. In caelis autem Deipara a dextris Filii nihil aliud facit, nisi ostendere illi pectus et ubera. O mira coniunctio!

10. Insuper amabilis est Maria, quia utilis evadit eius dilectio.—Utilis extitit: nam praetermisso quod ipsa per suam adhaesione angelicae legationi summam mundo altituti utilitatem; certum est, ipsam naturam nostram mirabiliter nobilitasse; et licet filia Adae quoad naturam, tamen ob suam mirabilem et excellentem sanctitatem Deo tam grata extitit, ut illum hominibus coniunxerit, et e coelo in terris attraxerit.

11. Denique in demonstrando iucundam esse hominibus Mariae dilectionem, non nullum immoramur, cum de eius pulchritudine verba superius fecerimus; cumque amare quod pulchrum est, iucundum sit.

12. Iure igitur Deipara dicit: *Ego mater pulchrae dilectionis* (Eccli. c. 24. v. 24): iure ab Ecclesia salatur *Mater fons amoris*. Ergo *filiis hominum*, ut quid diligitis vanitatem (Psal. 6)? Diligite Deiparam, nam *qui illam diligit, diligit vitam... et eos qui diligunt illam, diligit Deus... Qui intuetur illam, permanebit confidens* (Eccli. c. 4). Diligite eam, donec repleantur ab uberibus consolationis eius (Is. c. 66. v. 11): Verum non diligite verbo, neque lingua, sed opere et veritate (Io. c. 2. v. 18).

CONSIGLIO GENERALE DI PUBBLICA ISTRUZIONE

N. 10.

Napoli 3 luglio 1858.

Vista la domanda del tipografo Giosuè Vernieri, con la quale ha chiesto di porre a stampa l'opera intitolata: *F. Ioann. de Carthagera, Homiliae Catholicae* etc. etc. Visto il parere del Regio Revisore Monsignor F. Tommaso Salzano: Si permette che detta opera si stampi; ma non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto esser l'impressione uniforme all'originale approvato.

Il Consult. di Stato Presidente provvis.

CAPOMAZZA

Il Segretario Generale

GIUSEPPE PIETROCOLA

COMMISSIONE ARCIVESCOVILE

PER LA REVISIONE DEI LIBRI

Nihil Obstat

P. IOSEPH M. PENNASILICO C. O.

C. Theol.

Imprimatur

Pel Deputato

LEOPOLDO RUGGIERO

Segret.

